



1

2

29

30

31

32

33

12

IOH. THEOPHILVS SEGERVS

H. T. PROCANCELLARIUS

SVMMOS IVRIS PRVDENTIAE HONORES

VIRO DOCTISSIMO


ANDREAE THEOPHILO  
HARTMANNO

B V D I S S A L V S A T O

A. D. VIII. SEPTEMBR. AN. CCCCLXXVIII

SOLEN NITER TRIBVENDOS

I N D I C I T



*Subsidium caritatuum Imperatori praebendum Equites  
Imperii immediatos a seruitio feudali suis dominis pae-  
stando, nisi alia maior causa accedat, non libera-  
re ostenditur.*

**I**nvidet multorum animis vetus error, militiae munus ali-  
as ve praestationes beneficiariis lege clientelari impo-  
sitas operari immunitatem ab ultro tributis. Etiam M A-  
SCOVIVS meus, vir limati iudicij accuratae quae doctrinae,  
non dubitauit in principiis iuris feudalnis scribere, a  
collectis regulariter immunem esse vasallum propter ipsa,  
quae praestare debeat, seruitia. cap. XI. §. XXXIII. Quae  
opinio, dici non potest, quam altas in hominibus nostris  
radices egerit, et quot quantas que lites in Germaniae re-  
gionibus passim perpererit. Itaque fuere, qui iumento-  
rum etiam ad bellis alios ve vsus oblationem feudo paraueredi,  
quod eleganti vocabulo *caballinum* V. Cl. PVITTMANNVS  
noster appellat, plenam a ceteris tributis libertatem para-  
re contenderent. Contra quos in Saxonia saepe rescri-  
ptum, v. g. ad receptatores in circulo Electorali d. xxv.  
Maii 40. CICICLXXXIII. et quorum sententiam a IOH. PETRO

## IV

LUDOVICO in *ephemerid. Halens (gelehrten Anzeigen* T. I. p. 829. et apud IENICHEN *thes. iur. feud.* Tom. II. p. 919. defensam, validissimis argumentis fregit is ipse, quem laudaui, P VITTMANNVS sing. diatriba *de feudo caballino..* Simili ratione Ordo noster, cum de conditione feudi dubitaretur, cui necessitas vehiculi vel plaustris ad exercitum adducendi (*Heerwagen, Heerfahrtswagendienst*) imposta, ea lege nobilitatem praedii atque ab operibus communibus excusationem haud obtineri respondit mense Octobri an. CCCCCLXXVI.

Sed in eo quidem prudentiores consentiunt, ignobilium feudorum immunitatem generali iure non approbari: Verum id maxime vrgent, cauacatam aut scutagium, nempe equestrem militiam, iuris publici necessitate vasallum ab ordinariis tributis atque oneribus immunem reddere. Quod vt cum plerarumque regionum Germanicarum moribus et legibus scriptis conuenit, ita certum ac perpetuum esse existimant, vt tributa fundis nobilibus extra ordinem forte imposta pro adaeratione seruitiorum equestrum sint, atque ab horum vera praefestatione vasallum omnino excusent. Hoc colore vfa est immediata Nobilitas inter alias rationes firmiores forte validiores que, quibus ea, cum in bello imperii equites Franconiae et Sueviae, qui feuda ab Episcopo Herbipolitano et Duce Vuirtembergiae habent, his dominis suis seruitium denegarent, propter ea, quod Imperatori, tanquam supremo domino, subsidium caritatuum loco seruitiorum praeberent, vt in possessione iudicio apud Consilium aulicum pro ipsa pronunciaretur, obtinuit cf. acta quaedam hac spectantia in LVNIG. corp. iur. feud. Tom. I. p. 1259. et 1591. et in Arch. Imp. Tom. XII. I. 71. p. 135. et. n. 391. p. 603. nec non in BVRGERMLISTERI Cod. Equ. Dipl. Tom. I. P. III. p. 442. et Tom.

Tom. II. P. IV. Operae pretium fuerit, de iure huius assertionis non nulla differere. Habet enim haec disceptatio deliberationem difficilem atque aincipitem, eo minorem autem inuidiam, quo magis ipse Imperator Augustus non ea sola ratione, sed maioribus et grauioribus caussis ad tuendam in illo iudicio Nobilitatem motus esse videtur.

At fallor, nisi ista ratio, quam debilitare conamur, duobus potissimum monumentis pendet. Primum enim, vtrum pecunia illa subsidia, quae in bello imperii ab equitibus exiguntur, reaperte seruitiorum militarium loco sint, quaeri oportet: deinde an profectio ad exercitum supremi Principis vasallos ab inferioris domini militia omnino excuset? Quorum ego alterum illud negare, alterum haud affirmare, nisi cum cautionibus quibusdam, sustineo. Nam vt ab origine et causa subsidii caritatui a nobilitate praebendi exordiar, de quo, ne alios bene multos scriptores comminemorem, extat diatriba singularis (gründliche Beschaffenheit der Reichs-Ritterschaft Kaiserlichen Caritatiu-Subsidien, Ritterbusen und Diensten) in BVRGERMEISTERI Tkeſ. iuris equeſtris. T.I. p. 773 et BERNHARDI LUDOVICI MOLLENBECCI de Subſidio caritatino liberorum et immediatorum imperii nobilium nec non IOH. DAVID. KOELFERI de ortu et progressu ſubſidii caritatini Imperatori ab ordine equeſtri praeſtitis diſputatio, tametsi antiquam liberorum et nobilium praediorum immunitatem ab omni censu atque onere non ignoror, et initio pecuniam partem veſtimentum duntaxat pro munere militiae redimendo, id est, a clientibus loco seruitii poſtulatam ſolulatamque eſte inter omnes conſtat, quis tamen hodie illam, quam equites immediati vrgente neceſſitate publica Imperatori conſerunt, magis, quam collationes Procerum, pro iusta adæratione seruitiorum feudalium habeat? Quemadmodum enim haec, docente MASCO-

vio l. l. cap. XI. §. XXVI. non tantum ex feudali obliga-  
 tione fluunt, sed decernuntur in comitiis, neque tantum  
 a vasallis imperii, sed omnibus in genere Statibus fiunt: ita  
 non tantum cum iis, qui feuda nulli ciuili, praeterquam Im-  
 peratoris, potestati obnoxia ab Imperio, neque ab alio Princi-  
 pe tenent, sed cum omnibus in vniuersum equitibus immedi-  
 atis de pecunia ad communes ac magnas imperij necessitates  
 eroganda conueniri solet. Haud alia mente Maximilianus  
 I. quem nouae petitionis auctorem comperimus, decre-  
 tum in comitiis communem denarium ab equestri etiam  
 ordine postulauit. Ne quid enim de rebus post conue-  
 tum Vuormatiensem ab anno seculi sexti decimi LXXXV.  
 actis commemorem, quas enarrauerunt DATTIVS de pace  
 publica p. III. c. VI. ct VII. et KOEHLERVIS l. l. §. V., nihil  
 ob vltra tributa pro patriae defensione praestanda de mi-  
 litari seruicio remitti debuisse, dilucide ostendunt verba le-  
 gis in comitiis ann. CICCI XII. conditae §. xxvii. Nach-  
 dem uns und dem H. Reich merckliche Sachen und die Be-  
 schwerung, wie gemeldt, itzo fürstehen, und damit die Ritter-  
 schaft zu Erlangung und Erhaltung des Roemischen Reichs  
 und seiner Ehren und Vuürden ohne Zweifel ihre Treue und  
 Hülf mit ihrem Blutvergießen und sonst statlich mitgetheilet  
 und gethan haben, so setzen wir und die Stände des Reichs  
 in keinen Zweifel, die Ritterschaft werde sich zu Volkziehung  
 angefetzter des Reichs nothdürftigen Sachen auch gutwillig-  
 lich erzeigen und ihre Unterthanen oder Hinterassen in die-  
 sen vorgehenden Anschlag auch ziehen, denselben einbringen,  
 und sich selbst damit, so Noth seyn wird, besolden.  
 Vnde noua quidem stipendiiorum ratio, quae velut cum  
 ipso Maximiliani I. consilio habendi perpetui et stipendiarii  
 militis coniuncta vsum communis denarii et postulata-  
 rum collationum maxime commendauit, non vero etiam  
 remissio

remissio equestrium militiarum intelligitur. Fortunatiores etiam preces Caroli V. quibus an. CICLOXXVIII. et XXXII. peruerit, quod ausus frustra tentauerat, ut subsidia pecunaria primum ab equestri ordine soluerentur, nihil de redimenda militia continent. Quin tam copiis submissis, inter quas ipsi etiam nobiles pugnauerunt, quam data pecunia latum esse auxilium, docet gratiarum actio Ferdinandi Regis, Oeniponti eodem anno XXXII. d. XXII. Nov. scripta, apud Burgermeister. Cod. diplom. Equestr. p. II. Tt. I. p. 409. et Koelerum I. I. in dodecade document. n. V. Nec noua ordinis subsidia, ad exemplum Procerum in comitiis Spirensibus anno eiusdem seculi XLII. conuenientium, sed aliae grauiores que rationes Caesarem mouerunt, ut in iisdem comitiis R. I. §. XXXII. decerneretur: *So soll nicht des kleinen St. Georgi Fahne in diesem Zug aus bewegenden Ursachen angestellt und in Ruhe bleiben, allerley Unordnung zu verhindern.* Nempe initio discordia Sueuici atque Franconici equitis, deinde matata belli gerendi atque exercitus instruendi ratio vsus que perpetui militis ad meliorem disciplinae ac publicae tranquillitatis custodiam, non vero ista pecuniae subsidiariae persolutio equestris ordinis militiae veteri lege debitas in desuetudinem egit. Itaque prudentissime monet KOEHLERVS stipendum caritativum eius ordinis multum differre ab heribanno vel hostenditiis, quibus militaria beneficia redempta. Haec redemptio pro iure vel imperii vel directi dominij exacta ab immorigeris atque inuitis, qui vocati ad exercitum non venissent, cum caritativa subsidia blandis verbis rogata sint, hodieque ab Imperatoribus magis prece, quam imperio postulenter. Quanquam igitur non negamus, inde a duobus seculis saepe esse illud subsidium pro seruitio mili-

## VIII

militari rogatum, hoc tamen non hanc etiam vim habet,  
 vt hostenditiarum, quas diximus, loco ponatur. Quam  
 sententiam cum aliis fouet **BVRGERMEISTERVS Thes.**  
*iur. equestr. p. I. p. 38. et 39.* Sane Imperator Matthias  
 ex decreto in comitiis Ratisbonensibus an. **CICICXIII.**  
**§. III. d. I.** Octobris eiusdem anni nobilitati immediatae  
 rescriptit: *Dass sie sich also gefaßt und in solcher Bereit-  
 schaft halten, dass man Ihrer Majestät auf Dero gnädiges  
 Erfordern und Begehrn mit dem Leib, auch jetzt alsbald  
 nach erheischender gegenwärtiger Noth und Eil mit einer  
 freywillig mitleidentlich und wohl ergüblichen zilenden Geld-  
 hülſt bey springen und zur Hand gehen möge. v. BVRGER-  
 MEISTERI Cod. dipl. equestr. tom. II. p. IV. n. 4. p. 1226.*  
 Qua lege cum et militiae munus et pecuniam pro cala-  
 mitate temporum necessariam sibi deberi contenderit, se  
 nolle alterum pro altero solui satis demonstrat. Quam ob  
 rem cum Ordo equestris Maximiliani I. aetate nouum  
 onus constantissime recusaret, data etiam, vt faciliorem  
 fese praebaret, subditos in contributionem vocandi facul-  
 tas, ad euendum fere modum, quo Statibus concessum fuerat  
 collectarum imperialium partem a suis exigere, vsque dum in  
 hos omne onus deuolerent, quod immediatae nobilitati  
 non licet. Atque impetrantur ab Imperatore litterae,  
 quibus de caetero nobilium libertati atque immunitati,  
 ne praedia ipsorum tributaria censeantur, cauetur. Quae  
 omnia militarium seruitiorum atque huius subsidii diuersissi-  
 mas rationes manifestant. Itaque quod **K O E L E R**, de origine  
 et incrementis iurium et priuilegiorum nobilitatis Meclen-  
 burgicae, **§. xv. p. 29.** **STRVBEN.** hor. subs. p. II. diss.  
**xx. §. 13.** et vir per illustris **P VITTERV S** Deductionum  
 et Resp. Tom. I. n. **LXVIII.** p. 563. statuant, non obfe-  
 dale

dale seruitium, sed pro veteri Germanorum libertate, qua  
Francorum, Romanorumque discrimen et in ciubus et in  
fundis agnatum esse optime SOLVETVS in iure publico Galli-  
cano ostendit, equestria praedia etiamnum habere ab ordi-  
nariis collectis immunia, in hoc etiam subsidiorum a nobis  
litate immediata praestandorum exemplo quasi inuersa ra-  
tione cognoscitur, cum ea non seruitiorum feudalium lo-  
co, nec coacte pendantur, sed amore Imperatoris et pa-  
triae pro indeole obligationis civilis sponte soluantur. Non  
vero moramur IOH. PETRVM LVDOVICVM (ad A. B.  
tit. xviii. §. 1. p. 1023. 1029. et seqq.) originem caritati-  
vi subsidii clandestinae transactioni cum Imperatore tri-  
buentis, qua Nobiles imperii netario modo militaribus  
seruitis Imperatori atque imperio debitis se subtraxerint.  
Eius enim nubeculas satis dispulit laudatus KOELERVIS l. l.

§. XVI. Sed parum abeft, quin cordatiorem iure consultum  
IOH. IACOB. MOSERVM, at quanti et quam dulcis nomi-  
nis virum! inconstantiae arguamus, qui, cum in libro de  
Regni Germanici Statibus, Equitibus caeteris que membris  
immediatis: (*Von den deutschen Reichsständen, der Reichs-  
Ritterschaft und den übrigen unmittelbaren Reichsgliedern.*)  
lib. iii: cap. 1. §. 117. iura tum vniuersi imperii, tum  
circulorum, quorum interest, aduersus immediatae nobis-  
litatibus exemptionem ab onere militiae fortissime tricatur, at-  
que eam ipsis soluto subsidio caritatio non magis, at-  
que Statibus collectarum praestatione, parari afferat, nihil  
minus § 104. scribit: *Wenn also von der Reichs-Ritter-  
schaft Geld gegeben wird, so cessiren ihre ehemalige persönliche  
Ritterdienste, wie auch deren Surrogatum, die Stellung eini-  
ger geworbener Mannschaft; tametsi meliora edoctus ip-  
se profitetur: Doch hat dieselbe auch seit der Zeit, da die  
Geld-caritativ-subsidien angefangen haben, zuweilen Geld*

B

und

*und Mannschaft zugleich, oder auch Mannschaft allein liefern müssen, eiusque rei pluscula ex decimi sexti ac superioris seculi historiis assert exempla. Verum ille in hoc loco magis factorum frequentiam, in caeteris, vbi munera militiae Nobilibus non remittenda esse contendit, ipsam iuris publici normam rationisque similitudinem respexisse videtur.*

Quod si igitur pecuniaria Nobilitatis immediatae subfida hostenditiae non sunt, nec domini directi, sed imperii ciuilis iure postulantur, consequens est, vt equites iis praefitis citra singularem conuentionem a seruitio feudali non liberentur. Faciamus vero, hoc subfido militaria equitum seruitia aestimari et militiae Imperialis liberationem redimi, quam siue ciuili, siue beneficiario iure, prout feuda vel immediate ab Imperio vel ab aliis dominis habent, caeteroquin sequi deberent, sane haec vacatio aliis illis dominis magis profutura, quam obsfutra videtur. Duorum dominorum vassallus regulariter utriusque, et illi quidem, qui prior euocauit, ipse seruire debet, alteri per vicarium, aut solutis loco seruitiorum hostenditiis. cf. VETVS AVCTOR de beneficiis. §. 110. const. de expeditione Romana cum notulis GEBAVERT p. 256. Hic antiquissimus usus feudorum naturali iuri quam maxime conuenit. Sed saepe a vassallis audit a est excusatio, se domino iam seruire superiori, qua in primis vii sunt in bello imperii equites, qui feuda ab alio Domino habent. v. MASCOV. l. 1. cap. xi. §. xxxii. Igitur de altero cauillae nostrae momento breuiter agendum est. Habet autem exceptio, nisi domino iam superiori seruiam, vniue hunc verum intellectum usum que, vt subvassallus pro domino intermedio in superioris militiam missus (ii. Feud. LV. §. 1. Ius feud. Alemann. cap. LXXXVII. §. iii. et iv.) possit

possit absentiam suam a subdomini eum inter ea iterum euocantis exercitu excusare. Equis vero affirmare ausit, e-  
quites immediatos, qui feuda tenent ab alio domino, o-  
mnes esse subuassallos imperij, nec inconsulto Imperatore  
feuda illorum in allodium transmutari posse. Si qui inter  
eos sunt, quorum domini de ipsorum praediis ab Impe-  
ratore inuestigantur, consentio, feudale seruitium, quod vel  
militando vel redimendo praestant imperio, subdominis  
ipso iterum euocantibus recte opponi, ne vassallus dupli-  
cione grauetur. Igitur subsidii caritatiui caussae et con-  
ditiones diligenter respicienda sunt, ne pro seruitio feu-  
dali solutum videatur, quod equites praebuerunt ex alia  
caussa, atque in primis probe expendendum, an praesti-  
to accepto que subsidio Imperator seruitium militare, item  
in quod tempus illud remiserit. In quo pacto non ne-  
gligenda sunt iura subdominorum, quibus etiam ipsis, non  
subuassallis regulariter indicuntur seruitia, (vid. per illustris  
BOEHMER. *princip. iur. feud. lib. I. sect. II. cap. II. §. 235.*  
not. a.) sed merito subuassalli illorum consensum requi-  
runt, ne quid cum ipsorum damno sine iuris necessitate  
actum dicatur, hodie in primis, quo saepiuscule Impera-  
tores non minus in pace, quam in bello, immediatae no-  
bilitatis subsidium rogant. Quod si iusta ad imperialem  
exercitum euocandi caussa affuit, et accepto subsidio mili-  
tandi necessitatem Imperator remisit, hodiernae militiae  
munera utrum ex feudali, an ciuili obligatione fluant,  
frustra disputatur, cum utraque et ciuili et beneficiario iu-  
re debeantur. v. BOEHMER. I. I. lib. II. sect. I. cap. II. §.  
471 not. a.

Quorum vero equestrium praediorum supremum do-  
minium penes Imperatorem atque imperium non est, ho-  
rum possessores non alio iure aduersus dominos feudi ser-  
vitia

## XII

vitia poscentes tuebitur Imperator, nisi quo in vniuersum prouidet, ne bella legibus interdicta gerantur, ne ab vsu vlliis potestatis vel iuris ciuibus imperii sive mediatis, sive immediatis, fiat iniuria, ne quid grauioris oneris, quod vastalli, forte ob ipsa caritatua subsidia nuper in necessitate rei publicae exsoluta ferre non possint, ipsis contraius et fas, aut cum damno communis patriae imponatur, quae caussae omnes et singulae probe expendi, et tum ex iuris feudalis regulis, tum ex domini publicae que rei necessitatibus aestimari, in vniuersum autem curiarum feudalium iura, ad quas proxime hoc iudicium spectat, haud imminui debent.

Ex his liquet, pecunaria nobilitatis immediatae subsidia Imperatori praebenda nec omnes equites a feudali seruitio praediorum suorum Dominis praefstanta liberare, nec semper. Qui tensus etiam Aulici Augustorum Consilii fuit. Nam querentibus vassallis Episcopi Heribopolitani de euocatione ad exercitum domini, quo tempore Imperatori soluendum erat subsidium, non omnino haec postulatio Pontificis improbata, sed missio militum clientelarum imperata nouorum que seruitiorum exactio interdicta est propter ea, quod caussa necessitatis cessaret. Diferte Nobilium exceptio, dass anietzo in mebrgedachtem Fraenckischen Crayss eines jeden Stands, und also auch des Stifts Vuirzburg Securitaet nicht mehr auf desselben absonderliche Verfassung ankomme, sondern auf gemeinsamer Zusammensetzung nach den Matricularanschlaegen beruhe, in rescripto Caesareo die XIII. Maii an. 1510CLXXXIX. emisso, tanquam causa dehortationis: als ermahnen Vuir Dieselbe hiermit gnaedigst, Sie wolle Klaegere bey den von ihnen angeführten Vmstaenden mit den Ritterdiensten nicht beschweren, commemoratur ap. LVNIG. Corp. iur. feud. Tom. I.

p. 1259.

p. 1259. Quae vero apud eundem LVNIG I. laud. p. 1262.  
 an. CICIOCLXXXI. rescripta sunt Vuirtembergico, vtique  
 luculentam subsidii caritatui, ob quod equites feudalibus  
 seruitiis grauari non debeant, sed supremi etiam feudorum  
 dominii, quod Caesar sibi atque imperio tribuit, mentio-  
 nem habent: ne quid de maiori illorum clientum conatu  
 plena ab omni militia subdominorum immunitatis affe-  
 rendae, et sententia rescripti Caesarei anno huius saeculi  
 XXXV. d. xxx. Sept. ad Vuirtembergiae ducem emisso in  
 medium afferam. Quod quidem, et quae in comitiis de  
 generali norma iurium atque obligationum immediatae  
 nobilitatis hoc saeculo acta annoque LIII. d. XIII. Iul. ab  
 Ordinibus consultata ac d. IV. Aug. ab Imperatore confirmata,  
 velut etiam ea, quae deinde a Vuirtembergico cum parte ordi-  
 nis equestris anno LXIX. et LXX. transacta sunt, legi possunt  
 apud MOSERVUM I.I. §. 131. et 155. atque in miscellis de  
 rebus equitum immediatorum P. I.p. 31. (*vermischtene  
 Nachrichten von Reichsritterschaftlichen Sachen*). Haec  
 enim omnia recensere nec temporis nec instituti ratio  
 patitur. Quapropter etiam ipsius MOSERI sententiam,  
 de reliquis seruitiorum feudalium omnino perperam sta-  
 tuentis, ideoque, cum iam aliis locis eandem mentem  
 aperuisse, a BOEHMERO I.I. lib. I. sect. I. cap. II. p.  
 47. I. not. a. haud iniuria reprehensi notare omitto.

Sat enim multa, si sat bene, praefati sumus indican-  
 dis solennibus, quibus

VIR DOCTISSIMVS

ANDREAS THEOPHILVS HARTMANNVS

Budissa Lusatius

iuris vtriusque doctor creabitur. Is quibus parentibus  
 ortus, quorum virorum disciplina et magisterio vsus tam

B 3

feli-

## XIII.

felices in omni doctrina progressus fecerit, vt non leuem et vulgarem, sed multam atque accuratam eruditionem liberalissima que optimarum artium studia cum insigni morum probitate humanitate que nobis probauerit, ex iis, quae de vita sua ad me scripsit, cognoscite.

Natus, inquit, sum Budissae anno huius saeculi IIII. patre *Johanne Gottlob*, restiario, matre *Johanna Dorothea Bleischia*, quibus saluis adhuc fruor et vt diutissime fruar, numen diuinum adoro. Horum cura atque diligentia factum est, vt prima et religionis et litterarum elementa ex scholis optimum praeceptorum priuatis haurirem, donec annum agens decimum quartum Budissensis Gymnasii disciplinae tradebar, vbi me initio *Heikius* atque *Grafelius* post fata etiam mihi carissimi, deinde *Roslius*, *Coberus*, *Faber* atque *Demuthius*, quos Deus omnes sospitet, augeat atque conseruet! summa fide, pari industria litteras docere atque virtutem. Adiuuit liberalissime studia mea tum Budissensia, tum Lipsica beneficiis, in primis Mattigiano, Senatus vrbis meae Amplissimus, cuius insignem liberalitatem ex animo pio ac gratissimo nulla vñquam vetustas delebit. Anno IXXI. Lipsiam veni, vbi *Plazio* Rectore Magnifico, qui nunc quoque academiam prudentissime regit, in ciuium academicorum numerum relatus sum. Hic *Platerum* philosophiae, deinde medicinae forensis, *Borziun* matheeos caussa adii. *Ernestius* senior historiam catholicam, archaeologiam litterariam, et Romanas antiquitates me docuit, historiam Imp. R. G. *Boehmius*, Germanicas, antiquitas *Lehmannus*. Interfui quoque scholis philosophicis, rhetoricis, disputatoriis iis que, vbi graecos latinosque scriptores interpretabantur, *Ernestii* iunioris et *Reizii*, quorum vterque tot dulcissimi benevolentiae documentis me sibi deuinxit, vt nunquam desinam eosdem et amare et venerari fautores. Praeter eos audiui *Sammelum* Institutiones, ius naturae, Romani iuris historiam et ius publicum vniuersale tradentem, *Schotto* debo encyclopaedian iuris, Digestorum doctrinam, ius Germanicum priuatum et ius Canonicum. *Hommelius* etiam iure Germanorum priuato, *Zollerus* iure Digestorum et ad formulam iudicariam, *Segerus* iure Canonico et publico Imp. R. G. *Puittmannus* arte leges

ges interpretandi me instruxerunt. *Vuollo* usus sum ad Stru-  
vii iurisprudentiam Romano Germanicam, *Joh. Tob. Richtero*, cu-  
ius etiam contubernio per biennium et patrocinio constanti perfeci  
mihi contigit, processum iudicarium demonstrare, *Breuningio* de  
actionibus exponente. Quorum praceptorum collocatam in me ope-  
ram gratissima mente perpetuo colam. Inter ea temporis *Antonio*  
meo, iuris vtriusque doctori, de dato diplomatum Regum et Impera-  
torum Germaniae in Philosophorum auditorio disputanti socius affui.  
Ut haec litterarum et sapientiae studia minus impedirentur, Se-  
renissimus Patriae Pater, quem Deus omnibus bonis, quibus Prin-  
cipium felicitas censem, in publicam salutem abundare iubet! be-  
neficium ex genere eorum, quae per procuratorem Principis Mi-  
senensem dispensantur, munificentissime mihi contulit, cuius per  
omnem vitam sanctissima et dulcissima erit apud animum meum  
recordatio. Sic peracto triennio illustris I.Ctorum Ordo dignum  
me iudicauit, qui Notarius Caesareus crearetur et reliquis speci-  
minibus defunctus cauillas in foro oraret. Quo factò commendatus ab  
*Ernestio* iuniore, patrono multis nominibus mihi colendo, domui  
*Virtrianae*, discessi Pfoertenam in Lusatiae inferioris oppidum, optimum  
optimorum parentum filiolum instituturus. Vbi quidem  
tanta benivolentia tanto que fauore et exceptus, et per qua-  
driennium auctus sum augeor que adhuc, ut nec beneficio um mo-  
dum, nec sensum gratissimi animi assequi aut exprimere positora-  
tio. In primis in summa felicitatis meae parte colloco, quod  
mihi contigit proficere ex doctrina atque institutione iuris pruden-  
tiae vere pragmaticae eiusdem patroni, quem modo laudauit,  
*Vlrici* mei, in Cancellaria Forsta Pfoertensi Consiliarii. Cui etiam  
debeo summam indulgentiam illusterrissimi atque celerrissimi *Comitis de*  
*Bruhl*, Dynastae Forsta Pfoertensis, rei tormentariae in regno  
Polono supremi Praefecti, qui me munere honorifico exor-  
nauit. Nunc Lipsiam redii ad adipiscendos iuris scientiae honores.

Annuimus honestae petitioni. Is vero non in primo tan-  
tum examine, quo superato iuris vtriusque candidatus et  
baccalaureus factus, sed in altero etiam rigorosiori talem  
se praefitit, ut supremis in vtroque iure honoribus vna-  
mi

## XVI

mi collegarum suffragio dignissimus iudicaretur. Itaque inaugura*l*i recitationi *conf. i. C.* de fundo dotali hor. ii. po-  
meridiana habenda dicta est dies Septembris vii; proxima,  
nempe Louis., disputationi, praeside Summe Reuerendo at-  
que Illustri ZOL LERO Ordinis nostri Seniore meritissimo,  
Patrono et collega honoratissimo, publice horis ante-  
meridianis instituendae, quam *de culpa ab heredibus tutorum  
curatorumue tum ex facto tutoris, tum ex facto proprio con-  
venitis praestanda erudite conscripsit*. Quo facto vir cele-  
berrimus atque amplissimus IOSIAS LUDOVICVS ER-  
NESTVS PVITTMANNVS, Tit de v. s. et r. i. Pro-  
fessor ordinarius et Collegii nostri Assessor, cuius bene-  
volentiam atque amicitiam plurimi facio, et cui clemen-  
tissime constitutus Procancellarius Promotoris munus de-  
legau*i*, Doctoris iurium dignitatem et priuilegia tam  
communia, quam Lipsiensibus doctoribus propria, si fo-  
lam spem loci et suffragii in Ordine nostro obtinendi ex-  
ceperis, ipsi meritissimo conferet. Quod vt rite et mo-  
re maiorum fiat, sit que Candidato et nobis ea dies lae-  
tior et solennior, rogo RECTOREM ACADEMIAE  
MAGNIFICVM, ILLVSTRISSIMOS COMITES, VTRI-  
VSQVE REI PVBLICAЕ PROCERES, GENEROSIS-  
SIMOS NOBILISSIMOS QVE COMMILITONES pro ea,  
qua par est, obseruantia et humanitate, velint exoptatissi-  
ma sua praesentia dignitatis tribuendae splendorem auge-  
re atque hoc etiam nouo beneficio, quod memori grato  
que animo venerabimur, nos et Candidatum nostrum orna-  
re. P. P. Lipsiae d. v. Septembr. an. ccccccclxxviii

Leipzig, Diss., 1779 K-2

X 237 1913

ULB Halle  
005 433 703


3





B.I.G.

Black



12  
**IOH. THEOPHILVS SEGERVS**

H. T. PROCANCELLARIUS

SVM MOS IVRIS PRVDENTIAE HONORES  
VIRO DOCTISSIMO

**ANDREAE THEOPHIL  
HARTMANNO**

B V D I S S A L V S A T O

A. D. VIII. SEPTEMBR. AN. CCCCCCLXXVIII

SOLEN NITER TRIBVENDOS

INDICIT